

10) Constantinopolitano etiam imperatori et universis adiutoribus ecclesie Romane pacem veram reddit et nullum malum meritum reddet eis per se vel per suos pro servitio collato ecclesie Romane¹.

11) De querelis autem et controversiis que ante tempora domini² * Adriani inter ecclesiam et imperium * vertebantur, mediatores ex parte domini pape et domini imperatoris constituentur quibus committentur, ut eas iuditio vel concordia terminent. * Si vero predicti mediatores non convenerint, iuditio domini pape et domini³ imperatoris vel eius seu eorum quos ad id elegerint, finientur. *

12) Cristiano autem dicto cancellario Maguntinus⁴ archiepiscopatus, Philippo autem Coloniensis⁵ archiepiscopatus concedentur et confirmabuntur⁶ eis cum omni plenitudine archiepiscopalis dignitatis et officii. Et primus archiepiscopatus qui in Theutonico regno vacaverit⁷, domino Corrado⁸ auctoritate domini pape et auxilio domini imperatoris assignabitur qui tamen congruus * videatur. *

13) Ei autem qui dicitur Calixtus una abbatia dabitur. Illi autem qui dicebantur eius cardinales redibunt ad loca que primo⁹ habuerunt, nisi ea sponte vel iuditio dimiserant, et in ordinibus quos ante scisma perceperunt, relinquentur.

14) Gero autem nunc dictus Alberstatensis¹⁰ precise deponetur et Ulricus¹¹ verus Alberstatensis¹² restituetur. Alienationes a Gerone facte et beneficia data similiter et ab omnibus intrusis auctoritate domini pape et domini imperatoris cassabuntur et suis ecclesiis restituentur.

15) De electione Brandenburgensis episcopi qui ad Bremensem archiepiscopatum electus erat, cognoscetur et, si canonicum fuerit, ad eandem ecclesiam transferetur. Et quecumque a Baldeuino¹³ qui nunc preest Bremensi ecclesie, alienata vel inbeneficiata sunt, sicut canonicum et iustum fuerit, eidem ecclesie restituentur.

16) Item que Salsiburgensi¹⁴ ecclesie tempore scismatis subtracta sunt, ei plenarie restituentur.

17) Universi clerici qui sunt de Ytalia vel aliis regionibus, qui sunt extra Theoticum regnum, dispositioni et iuditio domini pape A. successorumque eius¹⁵ * relinquentur. Si vero domino imperatori placuerit¹⁶ rogare pro ordinibus aliquorum quos canonicè perceperunt¹⁷, usque [a]d X vel XII, si instare voluerit, exaudietur.

18) G. autem¹⁸ Mantuanus ad episcopatum quondam suum restituetur, ita tamen quod ille qui nunc est Mantuanus, auctoritate domini pape et auxilio domini imperatoris ad Tridentinum episcopatum transferetur¹⁹, nisi forte inter dominum papam et dominum imperatorem convenerit, ut in alio ei episcopatu provideatur.

19) Archipresbiter vero de Sacco in archipresbiteratu quondam suo et in²⁰ aliis beneficiis que ante scisma habuit, cum omni plenitudine restituetur.

1) Romane ecclesie B. 2) domini pape B = VU. 3) *Fehlt in B.* 4) Maguntie B. 5) Colonie B. 6) firmabuntur B. 7) vacabit B = VU. 8) C. B. 9) ante B. 10) *In A theilweise auf Rasur und corr., Albertatensis B.* 11) Urricus B. 12) Albertatensis B. 13) abaldeuuno A, *es fehlt ein Schaft.* 14) Salzburgensi B. 15) ipsius et Romane ecclesie B = VU. 16) A. 17) perceperint B. 18) etiam B = VU. 19) transferatur B = VU. 20) *Fehlt in B = VU.*